



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta**

**Neuhusii Paderbornae, 1710**

Annus 1667.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29436**

Londini improviso incendio conflagrant domorū 15000, præter Ecclesiās 84, aliásq; ædes complures usui publico destinatas.

Die 5 Decembris ingressa est pompâ solenni Viennam Margarita Infans Hispaniæ sponsa Leopoldi Imperatoris.

*ANNUS 1667.*

**D**iem Romæ supremum obiit 22 Maii Alexander VII. Pontifex Maximus, cui sequenti Junio suffectus Julius Cardinalis Rospigliosus, qui congruum placidis suis moribus assumpsit nomen Clementis IX. ab hoc Pontifice concessum Societati Jesu & PP. Augustinianis recitare ex præcepto Officium Conceptionis immaculatæ per totam octavam, quod postea fieri mandatum in omnibus locis ditioni Pontificiæ in temporalibus subjectis.

Delusus tandem longo tractatu involucro Venetis arctius premi incipit Candia à Turcis.

Mense Mayo movet cum magno Exercitu in Belgiū, quod sibi deberi prætendebat Uxor & Delphini nomine, Ludovicus Rex Franciæ, & intra breve tempus aspirante belli fortuna secunda, quæ vi, quæ aliis artibus in potestatem redigit Tornacum, Aldenardū,

nardum, Cortiacum & alia non pauca nec minoris momenti oppida, tam incurias defensionis propriæ Hispanis, ut vix pauculas tandem copias objecerint furenti torrenti Gallico.

Die 6 Aprilis horrendus terræ motus con-  
cussit Dalmatiam, subversa Ragusa pars  
maxima; periēre omnes incolæ, præter 400  
& Moniales 60. quæ extractæ fuere ex rui-  
nis, in quibus triduo jacuerant semi sepultæ,  
aliæ quædam civitates penitus absorptæ, &  
solo æquatae.

Post incensam à Batavis Anglorum clas-  
sem in Tamesi sancitur pax inter ambas gen-  
tes iis pactis, ut retineret, quæ pars alteru-  
tra flagrante bello occupâset.

*ANNO 1668.*

**A**lphonſus Lusitaniæ Rex & regno &  
uxori ineptus judicatus, utrumque fra-  
tri Petro concedere cogitur.

Anno eodem exemplo novo, & quod  
imitentur pauci, Casimirus Rex Poloniæ,  
uti olim religioni & purpuræ, ita nunc re-  
nuntiat regno, & posita corona contendit in  
Galliam, ubi vitæ reliquum privatus exe-  
git, vir à nonnullis mentis leviuscule nota  
punctus.

*ubique*

F 6

Rex